

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertatio Critica De Capitibvs Vltimis IX - XIII.  
Posterioris Epistolae Pavlli Ad Corinthios Ab Eadem Havd  
Separandis**

**Gabler, Johann Philipp**

**Goettingae, [1782]**

**VD18 11725516**

§. IV. De iusta difficultatum expediendarum ratione quaedam obseruantur  
generatim.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14981**

vero omnem orationis contextum diligenter comparamus, facile animaduertimus, (quod infra certis argumentis efficere nos posse confidimus) hunc locum non de tertio quodam aduentu *per literas*, sed de tertia praesentia *adspettabili* intelligendum esse, et plane παρ-  
αλληλον verbis C. XII, 14. ἱδι τριτον ἐτοιμως εχω  
ελθειν προς ιμας. Vel poterat Paullus duobus locis simul idem tertium epistolae ειλημα inchoare?

#### §. IV.

#### *De iusta difficultatum expediendarum ratione quaedam obseruantur generatim.*

Missis igitur his aliorum opinionibus, iam dispiciamus ipsi, queantne difficultates illae §. I. expositae, retenta quidem nec interruppta segmentorum epistolae serie continua, alio modo eoque meliori dissolui. Posse vero has difficultates, seruato e textu nostro artissimo capitum inter se nexu, omnes sic satis expediri, omniaque, quae videantur, repugnantia amice inuicem conciliari penitus confido. Sed si vel maxime omnino solui ea non possent, propterea tamen partes epistolae violenter diuellere aut temere transferre nefas esset. Quis enim tanta se perspicacitate esse putet, vt in summa historiae illius temporis obscuritate omnem loci temporisque ratio-

rationem epistolae adiunctam circumspiciat? Quis igitur confidenter enunciet, vnde sit in iisdem literis varius ille Apostoli in Corinthios animus? Nonne Paullus inter scribendum nouos nuncios eosque ingratos de Corinthiis accipere poterat, qui maiorem in corrigendo et vituperando seueritatem requirent; vnde finis epistolae hoc Apostoli animo ad vituperandum composito exaratus respondere plane non posset argumento primorum capitum ad annum Apostoli per laetos Titi nuncios exhilaratum atque in Corinthios bene affectum conformato? Quis est, qui, vbi non omnia in antiquis monimentis patet, illico turbatum foliorum ordinem vel particulas male consertas suspicetur, spuriamque iudicet rem, cuius veram indolem ipse quidem cognitam non habeat? Quis quaeso, vt rem exemplo illustrem, si remouendis C. XVI. epist. ad Rom. difficultatibus imparem se sentiat, nec velit SEMLERIANAM has expediendi rationem admittere, illico totam epistolam ad Rom. — scriptum illud maxime omnium ὁμολογημένου — tamquam spuriam reiicit? Hac enim coniecturarum criticarum audacia tenebras illas, quibus antiqua monimenta tecta videmus, non dispellimus, sed conspissamus. Eam profecto sacris literis religionem debemus, vt in tractandis illis, ne quid a nobis fiat temere aut cupide, sedulo caueamus. — Illa quidem ratio varium in

D 2 hac



hac epistola Apostoli in Corinthios animum conciliandi, quam paulo ante tradidi, mihi ipsi non arridet; nam notasset sane Apostolus in extremis his literis subitaneam, si qua acciderit, ecclesiae Corinthiacaे conuersiōnem, atque tristis nuncii allati, velut in epistola priori, mentionem inieciſſet ipſe: at nihil horum in his capitibus reperimus.— Possemus vero etiam eamdem rem, si in eo, quod fieri possit, vires ingenii exercere vellemus, modo explicare hoc: Apostolum, dum haec scriberet, vel grauiores *aliunde* nuncios accepisse, qui eum contrastarent atque commouerent vehementius; vel alia ei in Macedonia tum commoranti accidisse aduersa, quae ipsum adeo afficerent, ut durius etiam atque asperius scriberet. Quoties enim id nobis accidit, vt, si quid ingrati nobis euerit, austriores erga alios fiamus ipſi, atque oratione vtamur, nec opinantes, asperiori vel in eos, qui nihil peccarint, animaduertamusque in vitia aliorum, quae alio tempore plane praeteriiffemus, iusto feuerius?—

Sed his artificiis omnibus, quae quidem sufficerent, si alia ratio non suppeteret, carere facile possumus ad declarandum animum Apostoli varium mox leniorem mox acerbiorum, modo attentiori mente atque vno tenore argumentum epistolae perlegamus, varium in quoquis segmento animi Apostoli habitum, varium-

variumque, quod in eo secutus ille fuerit, consilium penitus indagemus, atque vniuersam denique meditationis consecutionem ad intimos vsque mentis Paullinae recessus studiose persequamur. Verum experta est hucusque sacra scriptura tristem illam fortem, ut pauci admodum **LOCKII**, diligentes et prudentes humanae mentis inuestigatores ad interpretationem illius accederent; plurimique contra, quos nacta esset, interpretes de perscrutandis follicite auctorum sacrorum animis haud cogitarent, sed solas opiniones vel syllabas aucuparentur. — Quodsi vero non hebetiori aliquo aut tardiori sensu ad scripta Paulli accedamus, nec Apostolum ipsum fingamus natura frigidum, tardum, languentem, sed talem, qualem eum scripta eiusdem omnia clare demonstrant, virum scilicet ingenii acris et feruidi, quouis sensu, grato vel ingrato, vehementer commotum, atque incredibili et virtutis et doctrinae Christianae promouendae studio nullo non tempore totum conflagrantem; et in interpretandis eiusdem epistolis, quid nobis, nisi sensu acriori a natura destituti simus ipsi, in literis ad familiares potissimum exarandis accidat, diligenter attendamus, quibus nempe modis ab uno argumento ad alterum transeamus, quasque vicissitudines sensus animi, ex eoque ipsum dicendi genus vel inter scribendum subire soleat — si hac mente, inquam, hocque sensu

D 3

po-

posteriorem epistolam ad Corinth. adeamus, atque difficultates §. 1. propositas ad constantes has mentis humanae leges curatius examinemus; dici vix potest, quam cito, quamque facile nubeculae illae dissipentur omnes.—

Quod enim ad primum dubium attinet, Apostolum in vltimis his capitibus cum seueritate et acerbitate pronunciare in Corinthios, cum prioribus contra segmentis oratione vtaatur leniori ac blandiori, vt adeo posterioris partis argumentum aptius ad priorem quam ad posteriorem epist. ad Corinthios pertinere videatur, generatim dicendum erit hoc: Ineptius sane egisse Apostolum, si in eodem dicendi modo per vniuersam epistolam haefisset. Nonne recte a Corinthiis facta ipsi laudanda, proui contra illorum mores vituperandi et corrigendi erant? Quemadmodum enim nulla vñquam exstitit societas, quae nihil omnino, quod reprehensione dignum esset, admitteret; ita et illa aetas in ecclesia Corinthiaca homines tulit variae indolis, alios digna laude in pietatis studio confirmandos, alios iusta vituperatione ad illud reducendos. Pro hac igitur ratione membrorum ecclesiae varia varium etiam dicendi genus ab Apostolo, vt omnibus prodeisset, adhibendum erat.— Audiamus hac de re SEMLERVM Vir. Ven. ipsum (paraphr. not. 289): "Hic ,autem quaerere licet — inquit — quomodo ista ,,,con-

„conueniant cum ipsis, quae a Tito narrabat se  
 „audiisse C. VIII, atque Corinthios mirum in  
 „modum ideo laudabat? Nempe ibi agitur de  
 „illis, qui redierant ad bonam frugem; hic vero  
 „de quibusdam aliis, qui adhuc quasi exspecta-  
 „bant, seiundi interea a partibus Pauli; hi  
 „poterant eo sensim delabi, ut putarent, si ma-  
 „xime Paulus ipse veniat, tamen eum nihil pre-  
 „sterea ausurum, vanas minas ipsis fore. Sal-  
 „tim isti Iudaizantes s. Palaestinenses facile po-  
 „terant sermonibus scaeuis istam levitatem per-  
 „vertere et in contemptum adducere”. — His au-  
 tem generatim obseruatis accedamus iam ad  
 accuratiorem eorum, quae in his literis in-  
 vicem pugnare videantur,

### §. V.

#### *Status ecclesiae Corinthiacaे narratur.*

Quod negotium quo procedat felicius, inquiramus ante omnia, quantum quidem ex ipso epistolae argumento id intelligere liceat, in vniuersum statum et conditionem internam ecclesiae Corinthiacaе, eo certe tempore, quo Paullus has ipsas literas ad illam conscribebat. — Acceperat vero Apostolus a Tito haec: Plurimos Corinthios a partibus ipsius stare omnique eundem pietate colere (C. VII, 6-7): quaeque prioribus literis animo intendisset, ea omnia etiam ex animi fententia in ecclesia Corinthiaca vere per illas effecta fuisse, quaeue